

*Notariatsinstrument in welchem Magister Werner von Costfeld erklärt, daß er wegen verschiedener seitens der Mitglieder der Artistenfakultät ihm widerfahrner Angriffe und Beleidigungen an den päpstlichen Stuhl appellirt habe, da seine an den Rektor der Universität ergangenen Appellationen für nichtig erklärt worden seien.*

Leipzig, 1465 Juli 4. 5

*Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 1092 fol. 80.*

In nomine domini. Amen. A nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto anno, indictione tredecima, die vero quarta mensis iulii, hora tertiarum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Pauli divina providentia pape secundi anno vero eius primo, in opido Lipczeni Merßburgensis dyo- 10 cesis in domo decani facultatis artium universitatis studii Lipczensis coram eodem in mei notarii publici testiumque infrascriptorum presentia, personaliter constitutus commendabilis vir magister Wernerus Costfeldie habens in suis manibus quandam papiri cedulam in se infrascriptam appellationem continentem, quam animo appellandi, provocandi ac apostolos petendi et recipiendi aliaque legitime appellanti incumbentia faciendi in medium 15 exhibuit eandemque interposuit et iuxta eiusdem appellationis formam et tenorem appellavit, insinuavit et apostolos petiit, protestatus fuit aliaque fecit, prout in dicte appellationis cedula plenius continetur. Cuius tenor sequitur in hec verba:

Cum ex humana fragilitate nonnunquam hominum iudicia iniquitati incumbunt et gravantur, ideoque apprime salubri provisione a sanctis patribus appellationis remedium 20 est permissum. Hinc est quod ego Wernerus Costfeldie, artium magister, animo et intentione appellandi et provocandi propono, allego et dico coram te notario publico et testibus hic astantibus et presentibus, quod licet certum sit ex statutis alme universitatis studii Lipczensis, quod rector<sup>a)</sup> habebat iurisdictionem in omnia universitatis membra in causis civilibus et iniuriarum, decanus<sup>b)</sup> tamen et magistri de consilio facultatis artium dicte 25 universitatis ad eorum presentiam me iusserunt accersiri illicque unus<sup>c)</sup> ex eis, qui me in quadam convocazione iniuriosis verbis leserant, in medium prodit seque a me lesum asserebat ubi actoris namque officium perficerat e vestigio sese aliorum cetui, qui michi inde penam dictandi gratia convenerant, socium addidit. Ibi mea illico mens futuri iniqui presaga gravaminis percellitur, dum actorem atque offensorem meum penam 30 michi vidi proficiscentem impositum contra eumque exceptionis locum ademptum, nec eos adesse iudices, qui meam excusationem aure et animo accipere volebant. Nam quidquid pro ostendenda mea innocentia attulerim rationis, hoc solum confutavit verbum, quo se aiebant iuxta intentionem suam noxiam vidisse meam, ob quam me pene suspensionis ab acturegentia et actibus publicis addicentes dei legem preterire non sunt 35 veriti. Qui Cayn fratris adhuc sa[n]gwine oblitum atque madentem, cum veniret dampnatum, quamquam cuncta dei oculis clara notitia sint subiecta, dixit tamen ad eum

130. a) *Am Rande von anderer Hand* magister Iohannes Hazenvelt de Franckevort. b) *Am Rande* mag. Ioh. Kurlebeke de Stendal. c) *Am Rande* mag. Ioh. Stublinger de Culmbach.